

fecit, nec verba veritatis docet, nec sapientiam ejus ostendit in se. Mali Christiani, & Hæretici nomen Christi portant, sed nec ejus verba docent, nec opera faciunt, nec ejus sapientiam ostendunt, & tales isti personam Antichristi in se ipsis representant.

Act. 11. n. 28. Et exurgens unus ex eis nomine Agabus significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. n. 29. Discipuli autem, prout quisque habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus. Num. 30. Quod fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabæ, & Sauli.

Versiones.

CUM EXPOSITIONE IV.

59. Verf. 38. S Urgens unus ex eis, scilicet ex viris Apostolicis, & surgens, ut magister, & vir magnæ autoritatis, surgens, inquit Lyra, ut in tanta multitudine melius audiretur. Nominis Agabus de quo quæstione sequenti. Significabat per spiritum. Syriacus: Patefecit eis, denuntiavit in spiritu prophetico, quo plenus erat. Famem magnam, & veritas hujus prophetiæ statim declaratur ex effectu subsequente. Sub Claudio, Syriacus addit: Cæsaris cognomen commune Imperatorum.

60. Verf. 29. Discipuli autem prout quisque habebat, id est fideles, qui erant in Antiochia, secundum suam facultatem, non vero secundum suam voluntatem quæ erat plus, & largius dare: Proposuerunt singuli in ministerium mittere. Syriacus: In subsidium. Arabicus: mittere benedictionem aliquam pro sua facultate. D. Chryf. Quique abundabant. Æthiop erogaverunt elemosynas, in quantum poterant, de quo qu. 12.

61. Verf. 30. Quod fecerunt. Arabic. Exequuntur sunt, & ait Textus mittentes ad seniores. Syriac. & alii: Ad Presbyteros, vel Primores fidelium, ac presertim ad Diaconos, per quorum manus elemosynæ distribuebantur Act. 6. Per manus Barnabæ, & Sauli tamquam per ministros fidelissimos. Hæc fuit prima legatio Pauli pro elemosyna perferenda pauperibus Sanctis in Jerusalem.

QUÆSTIO X.

Quisnam esset Agabus?

62. Agabus extitit vir magnus senex, magnæque autoritatis, quem Dorotheus in Synopsi ait unum fuisse ex 72. Christi discipulis, multis virtutibus emicens, & peculiariter dono prophetiæ, & ideo de eo sic dicitur in martyrologio romano die 13. Februarii, Antiochia natalis Sancti Agabi Prophetæ, de quo B. Lucas in Actis Apostolorum scribit. Prophetavit imminentem famem, de qua in præfati agit, quam famem, ac sterilitatem ex ejus nomine deducunt Authores: Beda ait, quod Agabus interpretatur nuntius tribulationis, paginus quod significat. amare, insanire, alii à radice hebraica, quod est locusta, quæ sic dicitur à depascendo, ac destruedo germina, & fetes ac fructus terræ & magnam famem introducunt quæ prædixit Agabus. alii etiã sunt qui nominis originem deducunt à nomine hebraico, quod importat tortam, vel panem subcinerium qui tempore famis maxime est in usu apud pauperes ut illico comedatur, ut suæ necessitati subveniant.

QUÆSTIO XI.

Quare tam dira, ac crudelis fames à Deo emissã est in orbem?

64. Deunt communiter Authores quod deus hac fame voluit punire insaniam Caii Caligulæ Imperatoris, qui Claudium antecessit qui in tantâ prolapsus est stultitiam, ut se ipse fecerit, ut supremum deum, in toto orbe adorare, & sublati imaginibus antiq. Deorum, suam, etiam in Templo Jerusalemitano reponi. Ita de eo scribit Sueton. in ejus vita cap. 22. Josephus, Eusebius in Chronico.

65. D. Chryfost. homil. 25. ait: Propter mala in Apostolos facta, quod etiam habet euthymius, verbera, carceres, persecutiones, quibus Apostolos vexabat hæc sterilitatem pepererunt Puniens deus Cain ob fratricidium, ait illi: Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua, cumque operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos. Gen. 4. n. 1. De sanguine justo effuso fratris sui, hos collegit fructus, ut terra ei esset infertilitera, & sterilis, & quod omnis labor in ea excolenda esset vanus, & frustraneus, ibi D. Chryfost. ait: Laborem quidem sustinebis, quæ tu facere potes omnia facies, & operabis terram, tã sanguine coinquinatam, non senties autem aliquem fructum tantorum laborum, quem feris. Expende verba: Non senties aliquem fructum, terra fecundata iustorum sanguine infertilitera reddita est, ut motes Gelboe 2. Reg. 1. n. 1.

66. Cur autem apostoli hanc famem non denuntiant timent fortasse, ne male audiãt, qui mala denuntiant ac de laboraret odio Schola Christiana, id Chryfost. visum est, citata homil. 25. ubi sic ait: bene de fame nõ illi sed Prophetæ dicitur, ne onerosi viderentur. Valde onerosus, & ingratus est hominibus eorum infortunia, ac mala audire, & ideo Apostoli, ne aliquod contraherent odium ab hoc prædicando abstinere.

67. Fames grande malum est dicitur Thren. 5. n. 10. Pellicis nostra exusta est a facie tempestatum famis, fames non est una tempestas, sed congeries omnium tempestatum, secum enim affert omnes tempestates, angustias, afflictione, dolores, morbos, pestem, ac lepram. D. Paschasius lib. 5. in thren ait: Fames dura meus affligitur, diversis plagarum verberibus cruciatur, & tempestatum procellis jactatur.

68. In septem fertilitatis annis pro depellenda fame septem sequentium sterilitatis annorum consuluit Joseph, ut in publicis de positis recondantur frumenta ne consumetur terra inopia, Gen. 40. n. 36. Chaldæus Ne consumetur fame populus terra. Philo lib de Joseph ait: Urbium, regnorumque gravissimus morbus fames est, cuius vires oportet ne fragere, nimium auctum incolas delect. Accidit illud Xenophon. lib. 6. de Cyrop. Nemo est tam robustus, ut contra famem pugnando bellum gerat. Et cum Urbs massinilla fame capta fuisset a Cæsare exclamavit Præfectus. Visti mus non ab hoste, sed à fame. Ita Appian lib. 5.

69. Hæc autem fames sepe datur à Deo in magnam penam, & peccatorum supplicium. Ait Deus populo suo Levit. 26. n. 19. Conteram superbiam avaritiã vestra Dabo vobis: Cælum desuper sicut ferreum, & terram aeneam. Ut cuncta sterilitate pereãt, & consumatur, & de hac re optimus est locus apud Jer. 3. n. 3. Polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis, quamobrem prohibita sunt stille pluviarum, & serotinus imber non fuit frons mulieris meretricis facta est tibi, & noluisse erubescere ergo saltem amodo vocat me Pater meus etc. ubi vides, quod ipsa sterilitas datur à Deo in castigationem, peccatorum aliquando etiam ut homo surgat, & convertatur ad Deum, & dicat: Pater meus es tu, & dux virginis meae.

Verba

70. Unde parens Elias minatur 3. Reg. 17. n. 1. Vivit Dominus, si erit his annis ros, aut pluvia, nisi juxta verba oris mei. Minatur Joel. 1. n. 4. Residuum erucicæ comedit bruchus. Minatur etiam Moyses Levitic. 26. n. 16. Visitabo vos egestate, & ardore, deuter. 32. n. 24. Consumetur fame. Ad quid tot, & tam multiplicatae minæ, poterat Dominus sales inferre sterilitates absque eo, quod tantæ præcederent minæ, totque & tantæ admonitiones; Ut illis excitetur ad tantum malum sterilitatis vitandum, & si in illud ob peccata nostra incidimus, inde refurgamus, ut ad cælestem patrem veniamus, ut fecit ille prodigus fame vexatus Luc. 15. d. Nazianz. orat. 17. ait: Quandoque ipsa penuria efficit, ut ad Deum nosmetipsos conferamus, qui fortasse ob effusam libertatem contemnitur.

QUÆSTIO XII.

Quare hoc famis tempore fideles ex Antiochia mittunt subsidium ad fratres in Iudæam?

71. Ait textus: prout unusquisque habebat in Antiochia, & poterat secundum suam facultatem, disposuerunt mittere subsidium fratribus, qui erant in Iudæa; tum primo, quia erant denudati ab omnibus suis, quæ vendiderant, & eorum pretia posuerant ad pedes Apostolorum, ut vidimus c. 4. n. 34. secundo quia in persecutione Stephani omnibus suis spoliati fuerant; tertio, quia, ut optimi filii agnoscebant eos, qui erant in Jerusalem, ut patres, qui eos genuerant in fide.

72. Quarto, quia ut ait Isaias 48. n. 7. Frange esurienti panem tuum. Non ait de esurienti de panibus, de pane tuo, sed frange, & si unum panem habes, frange, & da pauperi. D. August. serm. 62. de tempore, ait, ut probet, quod nemo se debet excusare à danda elemosyna ait frange panem: non dixit in regnum panem, cum forte pauper ille alium non haberet, sed frange, inquit, hoc est dicere, etiam si tibi tanta paupertas, ut non habeas, nisi unum panem, ex ipso tamen frange, & pauperi tribue & subdit Isaias citato loco: Et carnem tuam ne despexeris: quia nempe frater tuus est, explicat idem Augustinus serm. 50. & 172. sic & fecerunt discipuli in Antiochia ad fratres suos in Iudæa contempto omni periculo, quod ab adversariis machinari poterat.

73. Cum facta esset fames magna in terra Chanaan descendit Abrahamus cum uxore sua Sara, & cum prope esset, ut ingrederetur ad Ægyptum, dixit Sara uxori suæ, novi quod pulchra sis mulier, quod cum viderint te Ægyptii, dicitur tui sumus, uxori illius est, & interficient te, & te reserabunt, dicit ergo obsecro, quod soror mea sis. Genes. 12. n. 11. & 12. Si tam imminens periculum timebat Abrahamus, ob magnam, & eximiam Sarai pulchritudinem, cur non reliquit eam cum suo consobriano Loth, ad quid ergo eam asportat in Ægyptum? Dacrius Abbas in speculo Monachæ ait: Prævaluerat fames in terra Chanaan, ne ibi relinqueret Sara, ne forte fame periret. Magnus Pater familias Abrahamus, sic singulari providentia eminebat, qui potius elegit vitam suam in grande discrimen adducere, quæ deficere in providenda familia sua debita alimonia tempore famis.

74. Cum Agar fugerit de domo Abrahamæ à facie Domini: Iuxta fontem aquæ in solitudine. Genes. 16. n. 7. cumque eam animasset, & corroborasset Angelus ut revertentur ad Dominum suum; tunc agar gratulabunda ait ad Angelum: Tu Deus, qui vocasti me ibid. n. 13. ex quo merito dubitant Raban. Qui prius erat Angelus, & in forma hominis loquebatur

ancilla postmodum Deus dictus est: Unde hoc? signanter ait Textus, quod Angelus eam invenerat juxta fontem, quia ut notant Abulenfis Lahay, & alii, & ipsa fontem non videbat, magna laborabat siti quasi ad mortem, & Angelus ostendit ei fontem ad bibendum, & idem dicitur infra in eodem c. n. 14. Propterea appellavit puteum illum fontem viventis, ac vide. Modò dicitur fons modo puteus, quia ut ait D. August. Ioan. 4. Omnis puteus, qui subest, appellavit puteum viventis, quia ejus aqua à faucibus mortis liberavit, ideo Angelum, qui talem fontem indicavit Deum dicit: Tu Deus, qui vidisti me: qui enim sitienti, ac famelicenti subvenit, & à tanta opprestione eximit, ut Deus venerandus, ac colendus est, Lyranus: Tu Deus qui vidisti me consolando, ac vivificando.

75. Maxime inde in istis antiochenis, qui non expectant subsidium postulari à fratribus, qui erant in Iudæa, & ipsi eorum perverfam intelligentes anticipatè subsidium præstant: ait Regius Vates Psal. 40. n. 1. Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem in die mala liberabit eum Dominus. ibi D. August. ait: Qui intelligit, non dicit: Qui subvenit, quia debet esse misericors, admodum est, sed Deus non expectat, quod semper petatur unde subvenit desiderio, antequam petatur, & ideo ille est misericors, quia non solum petentibus subvenit, sed priusquam petatur.

CAPUT XII.

- 1. Eodem autem tempore misit Herodes Rex maritimus, ut affligeret quosdam de Ecclesia.
2. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio:
3. Videns autem, quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet & Petrum: erant autem dies æstivorum.
4. Quem cum apprehendisset misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo.
5. Et Petrus quidem servabatur in carcere; oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.
6. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinculis catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem.
7. Et ecce Angelus Domini stetit, & lumen resplendit in habitaculo, percussitque laedere Petri, excitavit eum, dicens, surge velociter, & ceciderunt catena de manibus ejus.
8. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calceare te caligari tuas. Et fecit sic, & dixit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me.
9. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum, & existimabat autem se visum videre.
10. Transientes autem primam, & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultra aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum, & continuo discessit Angelus ab eo.
11. Et Petrus ad se reversus dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudeorum.
12. Consideransque venit ad domum Mariæ Matris Ioanni, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati, & orantes.
13. Pulsante autem eo ostium janua processit, puella ad audiendum, nomine Rhode.
14. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit



- aperuit januam, sed intro currens nuntiavit stare Petrum ante januam.
- 15. At illi dixerunt ad eam: Insanis: illa autem affirmabat sic se habere: Illi autem dicebant Angelus ejus est.
- 16. Petrus autem perseverabat pulsans. Cum autem aperuissent, viderunt eum, & obstupuerunt.
- 17. Annuens autem eis manu, ut tacerent, narravit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque: Nuntiate Jacobo, & fratribus hac: Et egressus abiit in alium locum.
- 18. Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro.
- 19. Herodes autem cum requisisset eum, & non invenisset inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci, descendensque a Judaea in Casarem ibi commoratus est.

- 20. Erat autem iratus Tyrus, & Sydonus, at illi unanimes venerunt ad eum, & persuaso Blaspho, qui erat super cubiculum Regis, postulabant pacem eo quod alerentur regiones eorum ab illo.
- 21. Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos.
- 22. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis.
- 23. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo: & consumptus a veribus expiravit.
- 24. Verbum autem Domini crescebat, & multiplicabatur.
- 25. Barnabas autem, & Saulus reversi sunt ab Hierosolymis: expleto ministerio, assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus.



ARGUMENTUM

Herodes Agrippa Rex Iudææ gladio occidit Iacobum fratrem Ioannis, ut gratificaret Iudæis, Petrum in carcerem vincularit, & Petrus ab Angelo eripitur: Herodes a populo deus acclamatur, occiditurque ab Angelo.

- Act. 12. num. 1. Eodem autem tempore misit Herodes Rex manus: ut affligeret quosdam de Ecclesia.
- Num. 2. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.
- Num. 3. Videns autem, quia placeret Iudæis, apposuit ut apprehenderet & Petrum; erant autem dies Azymorum.

dies festi paschales non licebat eos sanguine effuso maculari.

QUÆSTIO I.

Quare Herodes Agrippa tam crudeliter insanivit contra Christi fideles, & quisnam esset?

Missis multis, & variis sententiis, certa, & communior sententia est quatuor fuisse Herodes. Primus Ascalonita, qui occidit infantes Secundus Antipa, qui Joannem Baptistam decollavit, & Christum illudit. Tertius Agrippa filius Aristobuli, filius Herodis Ascalonitæ, de quo hic agitur; Ita Syrus Eusebius lib. 2. c. 10. Quartus fuit Herodes Agrippa junior, illius tertii, & senioris filius, de quo agitur infra c. 25. n. 13. qui fuit tempore excidii Hierosolymitani, cui Josephus suam Judaicam historiam dedicavit.

de illo tertio Agrippa seniore hic est sermo, & licet nomen Tetrarchæ, & Regis aliquando confundantur, ut notat Plinius l. 5. c. 16 & 21. nam Luc. 3. n. 1. Herodes dicitur tetrarcha; & tam à d. Matth. 14. n. 9. & d. Marc. 6. n. 14. dicitur Rex, deinde iste Agrippa peculiariter obtinuit Regnum & nomen Regis à Cajo Caligula, cujus erat intimus familiaris, cui prædixit festinam mortem Tiberii, & quod ipse Cajo eius nepos in Imperium ei foret successurus, ideo obtinens imperium ipsum constituit, ac creavit Regem Judææ, ut scribit Josephus lib. 18. cap. 8. & lib. 9. cap. 5.

Iste autem Herodes Agrippa crudeli odio prosequatur Christianos, quæ est prima pars quæstionis; quia, ut testantur Philo in Flaccum, & Joseph proximo citatis locis, erat intimè addictus Judæis, & studiosissimus, & observantissimus Judaicæ Religionis, & maximè intendebat in omnibus Judæis placere, & ideo occidit Iacobum, & intendebat Petrum interficere.

Nequitia juncta cum potestate, nullum est malum, quod non aggrediatur, nullumque turpe facinus, ad quod non se extendat, sepe enim à Sceptro vires accipit furor. Instantissimè David clamat ad Deum Psal. 85.

Syriac. Arab. Æthiop. 2. Æthiop. 3. Arab. Æthiop. Syriac. 4. Cur dies Azymorum.

Psalm. 85. n. 16. Saluum fac filium ancilla tua, & ut Deum efficaciter ad se alliciat. magnitudinem sui periculi præmittit n. 4. Deus, iniqui insurrexerunt super me, & Synagoga potentium quasi erunt animam meam. Nullum majus poterat esse periculum nullaque major ratio confugiendi ad Dei adjutam, quam dum iniquitas, & potestas esset simul coadunata. Iniqui insurrexerunt, & Synagoga potentium. Basilii ibi: Ex eo duplex timor obortus est tum à nequitia, tum à potestate, ex quo ait d. Hieronymus in Apologia ad Rufinum lib. 2. Periret enim Innocentia, si semper nequitia juncta esse potestas, & in totum quidquid cupit calumnia prevaleret.

Ex maledicto genere Cham prodiit Nemrodo de quo dicitur Genes. 10. n. 9. Ipse cepit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino, id est permissio Dei, Septuaginta, & alii: Venator contra Dominum D: isto homine pessimo, & valde potente signate scribitur, quod erat robustus seu, ut legit Cajetanus fortis venator, ut omnia destrueret de voraret, ac devastaret, ex malitia cum potentia hoc est illius germen, Philo Abbas de silentio cleric. cap. 1. & ait: Signate contra Dominum appellatur, quia sibi sua solius perditio non satis sufficiens estimatur, nisi, ut ceteros violenta indagine persequatur. Expende ultima verba. D. Thomas etiam ibi ait: Sicut enim superbis ad omnem machinationem intentis magnitudo potestatis est nociva, sic etiam quamplurimum expedit, quod talis potestas, aut omnino tollatur, aut saltem confringatur, & dividatur. Vires suas deus Nemrodo abstulit, ne sua tanta potestate abuteretur in pestem extremam totius generis humani.

D. Basil. D. Hier. 9. Gen. 19. Septuag. Caiet. Potestas cum nequitia omnium destruetur. Philo. Abb. D. Tho.

QUÆSTIO II.

Quare Herodes occidit Iacobum, qui primus omnium Apostolorum datus vitam ad magnam ejus gloriam?

Iste Herodes studiosissimus erat Judæorum, ut dixi superiori quæst. & pro magno Judæorum obsequio interfectus Iacobum majorem, cur non potius invehitur in Petrum, Joannem, & Iacobum minorem, qui ibi erant, sed primo, & immediate in nostrum Hispaniæ protectorem?

Quia iste noster Apostolus magno zelo præcæteris fervidus prædicabat Christi evangelium, confundebat Judæos, & audacior erat ad eorum errores conculcandos, & etiam valde notum erat famam id, quod ipse in Hispania pro Evangelica fide propaganda prægerat, & ideo valde formidolosus erat, hacque de causa ait Textus: Videns Herodes, quod placuisset Judæis, Græcus: Rem gratam fecisset Judæis, ut eorum acerrimus adversarius de medio tolleretur. D. Chrysostr. homil. 57. paulo post initium ait: Iacobus acer, atque gravis Judæis erat, ut magnum munus illis obrulisset, cum eum interfecisset Herodes visus sit.

Quod ex eo alio in loco confirmavi quod cum Samaritani Christum D: spernerent indignans, & Christi injuriam ulcisci volens ingenti zelo, & si adhuc impolito, dixerunt ipse, & Joannes frater Domini vis, dicamus ut ignis descendat de Cælo, & consumat illos, Luc. 9. n. 54. d. Ambros. ibi pro Apostolis agens, sic respondet: Sciebant enim ex Phinees, & reputatur est ad justitiam, quia sacrilegos interemerat. Et ad preces Elia igne descendisse de Cælo, ut Prophetæ vindicaretur injuria. Et cum tanto fervore ac zelo æstuaret, Iacobus tamen nihil

Luc. 9. D. Ambros. Iacobus zelosus.

audet agere ex se, sed cum multa obedientia, ac obedientia Domini, Unde ait: Vis dicamus.

Primus inter Apostolos noster Iacobus effudit sanguinem, ipse fuit dux, antesignanus, & Prothomartyr Apostolorum, qui omnibus præbuit exemplum ad idem Martyrium sequendum; & maximè norandum quod isti duo fratres Iacobus, & Joannes Collegii a postolici sunt tanquam Alpha, & Omega: Iacobus primus vitam dedit pro Christo in Jerusalem, Joannes in Asia omnium ultimus ardenti amore erga Deum obivit, & pro nostro Apostolo primus inter Apostolos in Martyrio maximè venerandus, & colendus est. Vide supra cap. 10. q. 30. n. 26. & 263.

Hanc magnam excellentiam vendicat noster Hispaniarum protector, quod in omnibus primatum tenet. Anbulans Jesus juxta mare Galilææ, cum vidisset Petrum, & Andream vocavit eos, dicens: Venite post me faciam vos fieri piscatores hominum, & secuti sunt eum, Matth. 4. n. 19. Et cum inde progrediens cum vidisset duos fratres filios Zebedæi, vocavit eos, Illi autem relictis rebus, & patre secuti sunt eum. Ibidem n. 22. nullo proposito præmio, se ex intimo affectu, ac amoris impulsu, postea vero cum eorum mater postularet pro filiis interrogat eos Christus D. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Forti ac generoso animo nullo præmio proposito, ut notat D. Pascha D. Pascha. Dicunt possumus, Matth. 20. n. 22. Et quamvis in sequendo Christum, ac potando ejus Calicem se habeant simul Iacobus, & Joannes, tamen ibi confidero quoddam primatum in Jacobo, tum quia ipse senior erat, & illius erat prius agere, & respondere, tum etiam ex modestia Joannis, qui senioribus primas dabat.

Elegit Dominus suos Apostolos, & Iacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & imposuit ei nomina Boanerges, quod est filii tonitruum. Marc. 3. n. 17. quod latè explicavi tom. 2. in Apocalyp. c. 21. q. 26. à n. 307. Tyrinus, filii tonitruum fulgura. Baronius filii Pharetræ, & sagittæ. Theophylactus sic dicuntur, ut primi, & præcipui prædicatores: Albertus Magn. In doctrina, & prædicatione maximè fulgebant, vel ut aiunt Plinius, & Seneca: tonitruus magnum facit sonum, ac strepitum, dicitur filii tonitruum ob magnam prædicationem, ac fulgorem doctrinæ, ac magnis sono, & strepitu, quo fecerunt tremere totum orbem, idola corruere, & eorum templa dissolvi, de aliis apostolis dicitur Psalm. 18. n. 4. In omnem terram exivit sonus eorum at Iacobus non sonum sed vehementem ac fortem strepitum instar tonitruum edidit in toto mundo.

Tener noster Apostolus principatum in devotione, ac veneratione Sanctissimæ Virginis Mariæ, ipse omnium primus celebravit festum illius immaculatæ Conceptionis, fuitque primus, qui in ejus laudem orationem composuit ex salutatione angelicæ Ave gratia pleca Dominus tecum, & ex salutatione prophetica Elizabeth: Benedicta tu inter mulieres Benedictus fructus ventris tui, addens cæteras præces Ora pro nobis annu, & in hora mortis nostræ. Ut ex multis ostendi citata q. 26. n. 318. & 319.

Deinde ipse inter Apostolos ex ipsius Virginis imperio ei ædificavit (ut Oratorium à Parente Elia in monte Carmelo excipiam) primum Sacellum in Casarea Augusta sacratissima Virgo in alta Columna posita. In Hispania Deipara primo apparet in Columna denotans quod Hispania fututa erat magna, & firma columna Ecclesiæ, ac fidei Catholicæ juxta illud Apocalyp. 3. n. 12. Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras

13. Iacobus, & Joannes, & Omega Apostolorum.

14.

Iacobus primatum tenet.

D. Pascha. Math. 20.

15.

Tyrin. Baron. Theoph. Albert. Magn. Iacobus in mundo ait tonitruum.

16.

17.

Apoc. 3.